

ILLVSTRISS. PRINCIPI  
AC DOMINO,

D. GVLIELMO, HASSIAE LANDGRAVIO,  
CATTORVM MELIBOCORVM  
COMITI

IN DIETZ, ZIEGENHAIM,  
ET NIDA, ETC.

*Domino suo perpetua obseruantia  
colendissimo.*



VANDO mecum ipse cogito, Princeps Illustris-  
sime, cogito autem sapius, mundanae huius fa-  
bricae mirificam structuram, cum ex ea, tanquam  
ope inimitabili, magni illius  $\chi\epsilon\rho\omega\nu\alpha\tau\acute{\iota}\sigma\omicron\varsigma$ , ut Hip-  
pocratea uoce utar, potentia, sapientia atque bo-  
nitas, deprehendi queat: non immerito Plato-  
nem diuinum philosophum à priscis appella-  
tum censeo, qui ad hunc ipsum, ceu omnis boni pulcrique fontem  
inexhaustum, omnes humanas cogitationes & actiones referendas  
putarit, & hunc ipsum utriusque philosophiae finem, humanaeque  
beatitudinis supremum fastigium esse, affirmauerit. Etsi uero, ut  
Regij psaltis uerba Scotico plectro referam,

*—tota concurs fabrica personat  
Dei tuentis cuncta potentiam,*

neque uel minimus locus est, qui non opificis sui maiestati atteste-  
tur: ea tamen, quae per spaciosum hocce templum hinc inde sunt  
collocatae statuae, quod Trismegistus ait, non animatae tantum,  
inter quas principatum sibi iure Homo uendicat, sed inanimatae  
etiam, à primo illo ente entium cathena quadam, ut Homerus fa-  
bulatus est, suspensae, ortus sui auctorem & conseruatorem Deum  
uenerando silentio celebrant. Astra certe omnes suos motus à  
prima causa acceperunt, suas & elementa uires sortita sunt: pro-  
que suo modulo singula uel circulariter, uel secundum rectam li-  
neam feruntur: quaeque ex his orta, primum, secundum, tertium-  
ue gradum entium constituunt, naturae suorum principiorum at-  
testantur. Multo uero his perfectiora animalia aliud in seipsis prin-  
cipium motus obtinent, ut pro uasio uel instinctu naturae, uel uo-  
luntate, quò libet singula ferantur. Quòd si tanta est animalis uel  
minutissimi dignitas, quod de Hominis intellectu, diuinitatis ima-  
gine & simulacro, dicendum erit? quem in terreno hocce uascu-  
lo Deus inclusit, ut complexu sane quam admirando non caele-  
stia solum & subluana corpora, sed & incorporea quaeuis com-  
prehenderet? Hominem proinde scite admodum  $\mu\iota\kappa\rho\kappa\omicron\sigma\mu\omicron\upsilon$  phi-  
losophi appellarunt, tanquam magni illius mundi compendium

α 2 quod.



P R A E F A T I O.

quoddam: eum, inquam, quē summus ille opifex omnium suorum operum non inspectorem modò, sed & administratorem curatoremq; esse uoluit: nimirum ut & agēdo ea bona, quæ à prima causa acceperat, in omnes Vniuersi incolas liberalissimè diffunderet, & contemplando ad primum illum rerum omnium fontem creaturas omnes reduceret: adeoq; inter opificem, & opera mediis constitutus, ueritatis cognitione, & uirtutis exercitatione semetipsum, inferioris mundi caput atq; dominum, hostiam sanctam acceptamq; æterno illi conditori offerret. Hæc nimirum fuit harmonia, quam Deus ab initio constituerat: ut omnia certo regerentur ordine, certis etiam mens humana legibus cōtineretur, ne confusio aliqua omnium malorum mater oriretur. Cæterum arbitrij libertate abutens protoplastus, magno cum posteritatis detrimento concentum illum pulcherrimum inobedientia sua primus turbauit, & quantum in se fuit, sustulit. Eaq; propter Vniuersi huius confusio nusquam maior, quàm in ipsomet reperitur homine. Neq; enim uel secundum Naturæ legem appetitus, uel secundum Dei mandata uoluntas dirigitur amplius: sed hominē ad quoduis facinus, diuersis licet modis, ad eundem tamen interitus finem, effrænata rapit libido. Iam quantò amplior est contemplationis campus, tantò grauioribus ille idem confusionis tempestatibus subiectus. Siquidem non inscitia solùm, sed spontaneis quoq; mendacijs adeò conspurcatur, ut non ueritatis amplius, sed hæreseos asylum uideatur appellandus. Quod ipsum, magna cū philosophici nominis ignominia (etsi personarum hi sunt, non disciplinarum defectus) ex eo cūprimis liquet, quòd abominandis ferè hæresibus omnium scientiarum agri sint obducti. Nihil est penè certum adeò, quin ab aliquibus speciosa ratione sit impugnatum. Hinc tot opinionum tam differentes sectæ originem traxerunt, quas equidē tantum à ueritate, quantum à methòdo recessisse constat. Hæc enim uia est ueritatis inuestigandæ certissima: quā qui neglexerint, eos in uarios errores, non in Philosophia modò, sed in Theologia quoq; delabi, & Andabatarum more in tenebris depugnare necesse est, sole illo philosophico, Dialectica nimirum, destitutos. Nam cū duobus modis ueritatē rerum logica methòdus apprehendat, si quando ab iisdem exorbitet, duobus itidē in genere, sed qui usu ipso in infinitum excrescere possint, erroribus occasiōem præbebit: nimirum si uel extra scientiarum limites mens humana euagetur: uel principia earundē tractentur imprudentius. Id quod Hæreticorum exemplo discere licet. Quidam enim uerbo Dei nō acquiescentes, Christianam pietatē hominum traditionibus turpissimè defædarunt: alij uerò, quòd fidei dogmata pa-

ta pa-



P R A E F A T I O.

ta parum religiosè tractarēt, nec ipsi ueritatem assequi, neq; alios docere potuerunt. Sed quid hæc de Theologis? cum in ipsa Arte nostra plurimi extiterint, qui rationem tanquam otiosam penitus aspernati, methodum negligendam esse duxerint: alij methodum quidem complexi sint, sed sophisticam. Vtrosque Galenus, in stadio medico acerrimus pentathlus, firmissimis impugnavit argumentis: ut pluribus insequendi non sint, ne uictoriam tanti uiri in dubium reuocare, uel saltem uictis insultare uideamur. Et si enim nostra ætate noui quidam Thessali ex Theophrasti Paracelsi chymica schola prodierunt, experientias mirificas iactitantes, methodoq; phantastica solenniter insaniētes: quantumuis monstra proferant innumera, illa tamen omnia unius & eiusdem Herculis claua retundi possunt & edomari. Cæterum ut ad nostra ueniam: cum methodica doctrina, quam sub opt. præceptoribus in Italia potissimum hauserā, in artis Medicæ præceptis cognoscendis etiamnum tyro unice delectarer: huiusq; ueluti obstetrices Tabulas in priuatis semper studijs consecrarem: posteaquā ætate maturior ea quæ didiceram ad usum non medicū tantum, sed scholasticum quoq; reuocare cepi, ut certitudinem & perspicuitatem in nullo docendi discendique genere maiorem quàm in eo quod Schematisticum uocare liceat deprehendi: ita ne mihi tantum, sed alijs quoq; natus uiderer, ea in Artis medicæ tyronum gratiam *typis euulganda curauis*, quorum semina etsi ab alijs acceperam, *propria tamen commentatione in eam molem atq; formam produxeram*, ut pro nostris iure optimo à sinceris iudicibus agnosci possent. Etsi uerò nihil dici potest, ut quidam ait, quod non sit dictum prius: nihilq; in Arte nostra doceri, quod non ab Hippocrate & Galeno fidelissimè traditum sit: tamen docendi forma atque modus sermones de ijsdem rebus eosdem, diuersos uideri facit. Proindeq; uehementer in me iniurius fuit magnus ille alioqui P. Andreas Matthiolus, qui cū sibi persuaderet à nemine alio quàm à seipso Tabulas medicas confici posse: plagij nomine, præterquā & modestia eius & mea admitteret innocentia, me acerbissimè traduxit. Nam ut illud omittam, ab Aristotele etiam celebratum, & historiarum monumentis confirmatum, nihil prohibere, eadē ab ijsdem eodem uel diuerso etiam tempore inueniri, & citra imitationem tractari: τῷ ἔργῳ potius, quàm τῷ λόγῳ elenchum meditari cepi: & maiorem ætati atque meritorum eius, quàm iustæ defensionis meæ rationem habens, ea quæ rudi minerua delineauerā, accuratiore cura sub incudem reuocare sum aggressus omneque adeò, quod mihi à praxi medica ocij dabatur, in theoriam impendens, non iam priores illas, sed planè nouas Tabulas, non in unā



P R A E F A T I O.

aliquam, sed in omnes Medicinæ, tam physicæ quàm chirurgicæ (ut uulgata nomina retineam) partes magno studio & labore ex limpidissimis Græcorum, Latinorum, Arabum quin etiam fontibus haustas atq; deductas, in communem studiosorum utilitatē excudi: eo, sic uti spero, cum successu, ut cùm priora illa schemata nostra tyronibus artis & utilia & grata fuisse res ipsa docuerit: posteriorem hunc cœtum ijs etiam, qui in arte iam progressus fecerunt non pœnitendos, uel compendij, uel methodi, uel inuentionis nomine, & profuturum & placiturum minimè dubitem. Hacce igitur uigilias nostras, tuo potissimùm nomini, Princeps Illustrissime, consecrandas putauit: non modò ut laborum meorum & patronum potentem & censorem sapientem haberem, cuius auctoritate & prudentia calumniatorum nebulæ disijci possent: uerum etiam ut meæ erga C. T. deuotæ obseruantia, quam CL. V. CHRISTOPHORVS VVALTHERVS Fischer, I. V. D. cùm ante triennium ferè in Alsatia nobiscum ageret, heroicarum tuarum laudum prædicatione in nobis primùm excitauit: generosus subinde D. DANIEL Comes à Vualdeck, mœcenas meus singularis, mirificè confirmauit: publicum hocce monumentum, à posteritate quoque amplectendum, extaret. Quam ipsam uoluntatem meam si C. T. gratam & acceptam fuisse re ipsa cognouero: & beatissimùm me iudicabo, & ad alios præterea labores in comunẽ rei medicæ utilitatem maiori alacritate subeundos accen-

dar atq; confirmabor. Vale, Princeps Illustrissime.

Colmaria, Kalendis Ianuarij,

M D LXXVI.

I. C. T.

*Clens, Ioannes Iacobus Vueckerus  
Colmariensis physicus.*